



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XXXVII. De Agno Dei eiusque virtutibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

rijs Indicis legimus ijs locis, vbi nouella fidei germina plantata sunt, ad eo frequentes esse rerum benedictarum effectus & ordinaria quasi miracula, vt de ijs dubitare non liceat. Quę autem de benedictione aquę & rerum supra enumeratarum diximus, etiam reliquis omnibus quibus Ecclesia benedicere consuevit applicari possunt. Quia tamen Agnus Dei tam in sua operatione quam in cōsecratione multa peculiararia habet, consultum mihi visum est speciatim de eo agere.

CAPVT TRIGESIMVM
SEPTIMVM.

De Agno Dei eiusque virtutibus.

Notum est *Agnus Dei* ordinariē ex ^{Materia} cera virgine eaque candidissima ^{Agnus} in orbiculari aut saltem ouali figura ^{Dei.} efformari: ac *Agnus Dei* appellari, eo quod in ijs forma Agni labarum cui crux imponitur tenentis, exprimat.

Ex

Ex ceremoniali autem Romano discimus, Papam assistentibus sibi Cardinalibus, Episcopis, aliisque Prælatibus & Ecclesiasticis servato hoc ritu Agnus Dei consecrare. Primo sui Pontificatus anno & exinde septimo quoque redeunte Sabbatho, sancto maxima copia Agnus Dei ut benedicantur iam præparata ei præsentantur: Quorum consecrationem exorsus primo multas pulchras orationes recitat, & frequenter res benedicendas cruce signat; deinde partem earum aqua benedictæ cui crisma & balsamum admixta sunt immergit; assistentes Prælati reliquis idem faciunt: Sacellani eas siccadas extrahunt & in mundis mapis collocant, postea sua Sanctitas dictis quibusdam alijs orationibus finem huic solemnitati imponit.

*Eius
distributio.*

Sabbatho autem Pascha insequenti Papa pontificalibus suis indutus res illas superiori septimana consecratas, post decantatam in solempni forma Missam, quam coram sua Sanctitate aliquis cardinalium celebrat, distribuit.

Ex qua tanta solemnitate dignitatem

rem & efficaciam Agnus Dei facile colligere licebit, quod tamen manifestius fiet, si particulatim mysteria, & instructiones quas continet, & effectus quos operatur consideremus. Cera itaque Virgo ex qua conficiuntur humanitatem **CHRIST** *Iud. 14.* denotat; nam sicut cera & mel ab apibus quæ nunquam pariunt conficiuntur, ita & **CHRISTVS** in fauce mellis dampsónico præfiguratus ex virgine matre quæ virum non nouerat est prognatus. Figura autem agni cereæ impressa ad oculum & quasi digito nobis demonstrat verum illum Agnum Dei, qui tollit peccata mundi. *Ioan. 1.* Vexillum autem crucis quod agriculus tenet signum est gloriosissimæ victoriæ quam Dominus noster cruce sua & morte acquisiuit. *Apoc. 5.*

Quod aquæ immergatur doctrinam Euangelicam significat, quæ sitim temporalium in nobis extinguit, & fructus vitæ æternæ producere facit. *Psal. 44.* Per oleum autem chrisomatis intelligimus gratiã qua præ participibus suis vt loquitur Dauid inunctus erat, & per balsamum odoriferam virtutum

tum

tum Christi suauifragrantiam. Atque hæc sunt mysteria quæ in agno Dei latent.

Morales autem instructiones obiter percurrens dico significari nos instar agnorum in puritate & mansuetudine præstantes esse debere, & quotidie memoriam crucis qua mediante de captiuitate & seruitute Sathanae liberati sumus recolere. Quod autem in aquam Chrismati & balsamo permixtam immittatur, nos monet, ut poenitentia balneo lauemur, charitatis oleo inungamur, ac meritorum balsamum oleamus. Hæc itaque agnus Dei significat mysteria, docet monitas, modo de effectibus quos producit si debita cum fide & reuerentia eo utamur, aliquid dicamus.

Effectus

Agnus Dei

Effectus autem hi in orationibus quas super Agnus Dei Pontifex dicit, continentur & in vnum collecti ac in ordinem redacti sunt ab Urbano Papa, epistola ad Ioannem Imperatorem Constantinopolitanum: Primus est fulmina depellere; Secundus remissionem peccatorum adiuuare; Tertius parturientes foeminas ad sui & prolis con-

con-

conseruationem solari; quartus incen-
dia restinguere; quintus à naufragio &
aquarum periculis liberare; sextus à
subitanea & improuisa morte præser-
uare; septimus ab insidijs diaboli, id
est, coniurationibus incantationibus
& veneficijs quæ per sibi fæderatos
exercet dæmon præseruare. Denique
multas gratias & fauores ijs qui hæc
aut eorum partem aliquam deuotè
penes se gestant aut decenter domi as-
seruant communicare. Neque arbi-
tror quempiam de his effectis dubita-
turum, cui in memoriam venerit ea
quæ de efficacia præcum ecclesiæ su-
pra diximus. Maxime si cogitat Domi-
num nobis promississe ea se largiturum
quæ duo aut tres in nomine eius con-
gregati postulaturi essent; quanto li-
bentius itaque concedet quæ suus in
terra vicarius tot Cardinales & Eccle-
siarum Prælati in vnum conuenientes
in suo nomine postularunt. Si hæc cu-
piam ad propulsandum suum dubium
non sufficiant, experientiam consulat,
ijs loquatur qui his rebus sanctè vtun-
tur, innumerabiles illi fructus quos
inde carpserunt, & quotidie carpunt

nar-

narrabunt : Historias Indicas legat & inueniet hos Agnus Deo in omni or- his angulo magna miracula operari.

Præoccur-
rit.

Si dicat hunc vsum non esse adeo facile recipiendum, eo quod ad beneplacitum quorundam recenter sit inuectus : Dicam talem decipi aut decipere velle : Quamuis enim harum rerum vsum nouitius esset, vti tamen non est; non ideo desineret bonus & vtilis esse, cum eum vniuersalis Ecclesia quæ modo eandem auctoritatem habet, quam aliquando habuit, receperit & etiamnum recipiat. Verum tantum abest hunc vsum nouitium esse vt potius ex scriptoribus ostendatur eum ab ipsa antiquitate originem ducere; Referunt enim Albinus & Amalarinus fide digni authores temporibus Gregorij Magni qui circa annū 590. vixit, consuetudinem fuisse vt Archidiaconus Romanus acceptam ex cereo paschali residuam ceram in Agnus efformaret, eosque populo distribueret : apud eosdem quoque reperimus iam diu summos Pontifices harum rerum consecrationem sibi reseruasse. Et ex historijs cōstat eos Agnus Dei

tan-

tanquam res vtilissimas & pretiosissimas Regibus & Imperatoribus à Papa præsentatos. Leo tertius qui vixit anno 796. misit vnum ad Carolum Magnum, quem optimus ille princeps summo honore & reuerentia suscepit. Urbanus qui sedit anno 1362. tres ad Imperatorem Cõstantinopolitanum destinavit, eorumque virtutes cõscripta super hac re epistola, vt supra tetigimus declaravit. Idem fecerunt eius successores, & qui modo illis succedunt idem faciunt, vt cuius notissimum est; ideoque plura non addo, neque propositum patitur. sed qui plura desiderat, consulat ea quæ habet Baronius Tomo primo suorum Annalium.

Baron. T. 1.
L. Ann.

Concludo itaque institutionem rerum Sacramentalium maximè aquæ benedictæ, panis benedicti, & Agnus Dei sanctissimam & vtilissimam esse, ideoque nos ea magni æstimare debemus & debita cum fide ac reuerentia suscipere: Hæc ipsa enim arma sunt quæ Deus nobis ad inimicorum spiritualium debellationem contulit: hæc remedia sunt quibus nos aduersus peccata

peccata & vitę huius pericula pręmu-
niuit.

*Diabolus
superstiti-
osus.*

Dæmon autem Christi simiam a-
gens, vt facilius animas fidelium deci-
peret, magnum numerum scedularum
magicarum, amuletorum & similium
nugarum inuenit, quibus summam ef-
ficaciam inesse falso confinxit: & cum
ex scripturis certum sit mendacem ef-
se diabolum, patremque omnis men-
daci, multos tamē Christianos prohi-
dolor reperire est, qui ei fidem habeat,
magis que hæc ab eo malignè inuenta
quam illa vtiliter & sancte ab Eccle-
sia instituta curent ac æstimēt. Moneo
autem tales omnes sacram Scripturā
& Doctorum authoritatem securus,
quod his superstitionibus Deum gra-
uiter offendant, & seipsum tam secur-
dum corpus quam animam maximis
periculis exponāt, omnes enim scedu-
la, breuia, characteres, aliaque reme-
dia quę neque naturalia sunt neque
ab Ecclesia approbantur, aut tacitam
aut expressam diaboli inuocationem
continent, adeoque ijs vtentes in cri-
men idololatrię incidunt, vt docent
Theologi & antiquiores Patres, no-
minacim

*D. Th. 2.
2. q. 96. a.
2.*

minatim autem Augustinus. Qui itaq; his superstitionibus addicti sunt sciāt sibi non minus ab illis quam à capitali suo inimico diabolo cauendum esse; nam vt inquit Apostolus, *Qua uentio lucis ad tenebras? Christi & Be- liali?* quasi dicat, nulla est neque potest.

Hæc itaque superstitiosa abijciant, & quod bonos Christianos decet rebus Sacramentalibus ab Ecclesia quæ Dei spiritu agitur institutis, utantur: pane scilicet benedicto, Agnus Dei, alijsq; de quibus egimus, maximè autem aqua benedicta. Iuxta introitū Templi Iudaici maximum vas æneum erat in quo templum ingressuri lauantur: & in sua Historia narrat Eusebius in Ecclesia à Paulino Tyrriorum Episcopo extracta certos quosdam fontes fuisse in quibus ingredienti manus abluerent. Et Chrysof. huius aquæ meminit cum ait, Templum intrantes manus abluimus. Usus autem istæ aquæ communis pro corporum ablutione in fontes aquæ benedictæ pro animæ expiatione per Alexandrum Papam commutatus est:

T

ise

August. l.
2. de Do-
ctrin. c.
20.
2. Cor. 6.

Euseb. l.
10. c. 46

Chrysof.
Hom. 72.
in Ioan.

is enim ordinavit ut huius aquæ vasa
 publicè in Ecclesijs & privatim in cu-
 biculis esset ad malignos spiritus abi-
 gendos. Decens itaque est nos tem-
 plum ingredientiæ aut egredientes
 cum omni reuerentia ea vti eadem-
 que domi custodita surgentes nos
 aut decumbentes aspergere, Deo
 que summas gratias agere quod nobis
 hanc aquam benedictam cum cæteri-
 bus sacramentalibus pro abstergen-
 dis peccatis, insidijs diaboli euitandis,
 ac reliquis malis quæ hanc mortalem
 vitam comitantur auertendis, tam li-
 beraliter per suos vicarios & ecclesijs
 Prælatos elagiri dignatus sit.

CAPVT TRIGESIMVM

OCTAVVM.

*De Institutione festorum, & bono, ac
 spirituali gaudio quod ea
 consequitur.*

PErtractatis iam rebus Sacramenta-
 libus quas Ecclesia instituit conse-
 quenter de festis agendum erit quæ e-
 adens